

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiae Fridericianae Georgius Ernestus
Stahl, Medic. D. Et Prof. Publ. Ordin. unà cum
Professoribus Reliqvis Cives Academicos, Ad ...**

Stahl, Georg Ernst

[Halle, Saale], [1701?]

VD18 13259709

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)



30

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
**GEORGIUS ER-
NESTUS STAHL,**

MEDIC. D. ET PROF. PUBL. ORDIN.

unà cum

PROFESSORIBUS

RELIQVIS

CIVES ACADEMICOS,

Ad memoriam Resurrectionis Do-
mini nostri JESU CHRISTI pie recolendam
ac digne celebrandam,

Omnes ac singulos humanissime hortatur
atque invitat.

20

PROFESSORIBUS
MEDIC. D. ET PROF. PUBL. ORDIN.
NESTISSTANI
GEORGIVS ER.
ACADEMIAE TRIBEMOIANAE
PREFECTOR

Omnes ac singulos humanissime honorari
ac digne celebrandam
mini nostri Iesu Christi pie recolendum
Ad incrementum Reformationis Do-
CIVES ACADEMICOS
RELIGIOS



ΜΗΜΟΝΕΥΣΤΕ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΝ ΕΓΗΓΕΡΜΕΝΟΝ ΕΚ ΝΕΚΡΩΝ!

Resurrexit, o Nostri, vere resurrexit CHRISTUS I. Cor. V, 4.
 JESUS secundum Scripturas. Resurrexit tertio die, Gen. I, II.
 quo sicut terra, cum olim crearetur, naturaliter, ita nunc spiritualiter est fecundata. Arbor enim, veros fructus edens, germenq; terræ præstantissimum, quod vitam mundo, victumq; præbet, jam excrevit. Secundus Adam ex somno mortis evigilavit, cum exstructa ipsi esset ex suo latere sponsa optima, carissima. Semen mulieris contrivit caput serpentis, prout oraculum divinum prædixerat. Jam morte superata reclusa est lapsis hominibus via, quæ ad arborem vite ducit. Quod figura prænotaverat Enochus, Gen. III, 24.
 septimus ab Adamo, id ipsa re nunc exhibet Adamus Gen. V, 24.
 secundus: ille mortis legibus exemptus, ante translationem suam testimonium accepit, se Deo placuisse; A& II, 24.
 hic similiter etsi mortem gustavit, à morte tamen reneri non potuit, & antequam e terra tolleretur, ipsum Matth. xvii
 Deum habuit de se testantem. Aqua diluviana resederunt, fontes abyssi sunt obstructi, & verus Noachus, qui Gen. VIII,
 nos recreabit in miseriis, & laboribus hujus terræ, cui 1. 2. 16. V, 29
 Deus maledixit, ex arca sepulchri progreditur, ut suos 1. Petr. III,
 secum ducat. Ejusdem gratum odorem holocausti 20. 21. Mat.
 odoratus Jehova, ad cor suum (לב-לב) i. e. ad Christum XXVII, 52.
 ita est locutus: Posthac non maledicam ultra terræ 1 Cor. xv, 23
 Gen. viii, 21
 Esa. LIV, 9.

propter hominem, quamvis figmentum cordis huma-
 ni malum sit ab adolescentia ejus; neque posthac per-
 Gen. IX, 20 ni malum sit ab adolescentia ejus; neque posthac per-
 21. Act. I, 5. cutiam amplius omnia viventia, quemadmodum feci.
 II, 13. Psal. Nunc *Noachus* noster, ex arca sepulchrali egressus, su-
 XXXVI, 9. am *plantat vineam*, quique ipsius sunt, non ita multo
 Cant. II, 4. post, dulce ejus vinum bibentes, inebriantur. Vincen-
 V, 1. Es. LV, 1. tis *Abrahami*, & benedictis *Melchisedeci* figuram my-
 Gen. XIV. sticam unus Christus explevit, Filius æque ac Domi-
 Psal. CX. nus Davidis & Abrahami. Hic dies exhibet impletum,
 Ebr. VII. quod animo secum dixerat *Abrahamus*; *Deum vel ex mor-*
 Gen. XXII, *tuis posse excitare*: qui & *Isaacum* recipiens, rem eandem
 12. Ebr. XI, significavit. Verus *Isaacus*, amor & deliciae generis
 19. humani, in ara crucis est immolatus; & Pater, qui no-
 Gen. XXII, 9. stra causa Filio suo unico non pepercit, sua gloria eum
 Ro. VIII, 32. resuscitavit. Luctatus jam cum Deo & hominibus,
 Gen. XXXII, prævaluit *Jacobus*, nec jus primogenituræ solum, quod
 28. xxv, 33. primogenitus hominum nefarie perdiderat, sed bene-
 Ebr. XII, 16. dictionem quoque reparavit. *Josephus*, venditus à fra-
 Gen. XLI, tribus, & in vincula conjectus in Ægypto, nunc libe-
 14. ratus prodit, imo *vivit*, omniumque rerum est domi-
 Gen. XLV, nus. Vicit *Leo de tribu Juda*; venit *Schilo*, cui erit obe-
 26. Rom. dientia populorum.
 XIV, 9. A- Extractus jam est ex magnis anxietatum & mise-
 poc. II, 8. riarum fluctibus, quem *Moses* exemplo suo monstra-
 Gen. XLIX. verat. Nunc patet, quam ob causam *rubus* ille arserit,
 9. 10. Apoc. V, 5. nec tamen fuerit consumtus. Ille ipse enim, qui sub
 Exod. II, 10. flammæ specie apparuit in rubo, in assumta carne est ne-
 Ps. XVIII, 17. catus; ecce vero, vivit nunc æternum. Verus *agnus*
 LXIX, 2. 3. *paschalis* est mactatus, nullo ejus osse fracto, ejusque
 Exod. III, 2. sanguine postes nostri sunt conspersi. Nunc recte *Pa-*
 Exod. XII, *schæ* celebrari potest; nostrum enim Pascha, pro nobis
 3. seq. immolatum, est Christus. Glorificatus est Jehova in
 1. Cor. V, 7. *Pharaone* infernali, ejusque exercitu, postquam eum vi-
 Exod. XIII, cit,
 XIV.

cit, suumque populum, per mare sui sanguinis profusi,
e domo servorum duxit. *Arbor vitæ dulces nunc red-* Exod. XV,
didit amaras miseriarum aquas. 25.

Jam primitiæ messis, *manipulus frugum*, in nostro Lev. XXIII,
die Paschali, qui post sabbatum erat proximus, Domi- 10. seqq.
no messis offeruntur, (Christus enim, primitiæ dor- 1 Cor. XV, 23
mientium est factus,) eoq; omnes reliqui sanctificantur. Apoc. I, 5.
Num. XVII,

Illuxit dies, quo *virga Aaronis*, summi Sacerdotis 18.
nostri corpus, producit germen, emittit flores, editq;
amygdala, nempe vivam spem, fructumque maturum
beatitatis. Exaruisse in cruce, abjectumque videbatur
pedum, quo Pastor animarum summus utebatur; ec-
ce autem virga Aaronis, tanquam typus, longe cedit
ei, ut germine viridiori, flore amœniori, fructibus præ-
stantiori.

Nunc *Josua* noster transivit Jordanem, quem *Mo-* Deut. XXXI,
ses in suo officio non potuit transire. 2. 3. Jos. III,

Sub pedibus suis ille contrivit hostes nostros, nobisque 1. seqq.
virtutem comparavit idem præstandi. *Hereditatem ac-* Jos. X, 24 25
quisivit, *civitates receptui* designavit, suaque morte, ut- Gen. III, 15.
pote veri *Sacerdotis*, vindici sanguinis omne jus abstu- Rom. XVI,
lit, ut in posterum ad Paradisum Dei nostri, unde fu- 20.
geramus, nobis liceat redire. Jos. XIII, sq
XX, 2 --6.

Capite infernalis *Siffere* paxillo crucis Christi trans-
fixo, liberari sumus e manu hostium, & qui amant i- Jud. IV, 21.
psum, sunt sicut sol, cum procedit in robore suo. Nunc Luc. I, 71.
verum *altare* est exstructum, quod *Dominus vocat*; *Pactis*: Jud. V, 31.
& noster Gideon prima luce surrexit, exercitumque Jud. VI, 24.
infernalem Midianitarum adortus prostravit. Noster VII, 9. seqq.
Simson leonem, qui rugiens occurrebat ei, discidit, ac si Jud. XIV, 5.
discinderet hædum: nunc prodit ab edente edulium, 6. 14.
& ab acri dulce. Post mediam noctem, cum custodib9 Jud. XVI, 2.
esset septus, is surrexit, portasque orci confregit. 3.

Ruth. IV, 8. Boas verus, Goel noster, jam est inventus, postquam *Moses*, qui nec sponsam nec hæreditatem potuit acquirere, suum calceum extraxit.

1 Sam. XIII, 14. Virum secundum animum suum Jehova sibi exquisivit, eumque jusfit esse principem in populo suo, cum prior Jehovæ Dei sui mandatum non observasset. 1 Sam. XVII, 49. Luc. XI, 22. Hic universo populo triumphum comparavit, postquam fortem adortus superavit, arma, quibus confusus erat, abstulit, palam eum ostentavit, ac triumphavit per se ipsum. Ebr. II, 14. Col. II, 15. 2. Sam. XXII, 1. fqq. Psal. XIX, 2. Nunc *Davidis* nostri hymnus decantatur pro liberatione è manu omnium hostium, & in populo ejus vox læta personat: *Dominus vivit*. Jehova regem suum constituit super Sion montem sanctum suum, ad quem Deus dixerat: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

1. Reg. I, 1. Quantus Propheta, qui *in vita* sua fecit mirabilia, Psal. II, 7. & *in morte* mirabilia opera sua. Ast major typo antitypus, Elifæo Christus noster, qui & virtute propria majora præstitit vivus ac mortuus, & animam, quam ultro posuit, rursus accepit, & redivivus vitam credentibus largitur omnibus. 2. Sam. VII, 14. Ebr. I, 5. 2. Reg. 13, 21. Syriac. 48, 14. Joh. X, 18. Complementum monstravit, Judam pariter ac Josephum significasse Christum, ad quem principatus est delatus, ac primogenitura, quod utrumque Adam perdiderat. 1. Chron. VI, 2. 2. Chron. VII, 1. II. Joh. XIX, 30. Jam gloria *Jehovæ* implevit verum Dei templum, postquam Salomo noster omnia perfecit, quæ in animo habuerat.

Job. XLII, 10. Hodie figura patientis, & ex angustia judicioque sublatis *jobi* exprimitur in ejus unice dilecto Redemptore vivo. Esa. LIII, 9. Apoc. I, 18. Exiguo temporis spatio ille fuerat à Deo derelictus, Pl. VIII, 6. sed gloria & decore est coronatus. Nam animam ejus Deus

Ebr. II, 7.

Deus noluit relinquere in inferno, neque committere, ut san- Ps. XVI, 10.
ctus suus corruptionem pateretur. De torrente in via bibit, Act. II, 27-31
proptereaque caput exaltavit. Idcirco vox jubilationis & XIII, 35.
salutis in tabernaculis justorum auditur: *Dextera Jeho-* Psal. CX, 7.
va facit fortitudinem, *dextera jehova* excelsa, *dextera* Ps. CXVIII
jehova facit fortitudinem. *Lapis*, quem reprobaverunt 15-17. 22. 23.
ædificantes, fuit in caput anguli. A Jehova factum est
hoc, & est mirabile in oculis nostris.

Videte ergo, quam suaviter ludat sapientia in orbe Prov. VIII,
terrarum, ante execrato, & quæ deliciae ipsi sint cum 31.
filiis hominum

Nunc re ipsa probat sapientia, se vitam tribuere Eccl. VII, 12
possessori suo. Esa. LII, 13.

Nunc experitur Sponsa, qualis dilectus suus sit Cant. V, 9.
præ alio dilecto. Videt enim, majore quenquam cari- Joh. XV, 13.
tate non esse præditum, quam si animam suam amico-
rum causa impendat. Eam ipsi nullus eripuit, sed ipse Joh. X, 18.
sua sponte posuit. Potestatem habuit eam ponendi, i-
temque potestatem habuit eam rursus sumendi.

Agnus Dei, qui peccata mundi sustulit, exposuit Esa. LIII,
se ipsum sacrificium pro peccato, & abscissus est de ter- Joh. I, 19.
ra viventium, sed prolongabit dies suos; & quis gene-
rationem ejus enarrabit?

Justum germen (virens virga Aaronis) fructus suos Jer. XXIII,
profert, & hoc nomen ejus est: *jehova* *Justitia nostra*: 5. xxxiii. 14.
Resurrexit enim Dominus propter justitiam nostram. Rom. IV, 25
Quid olim indicaverit Spiritus S. per *josephum* ac *jere-* Jer. XL, 23.
miam, à fratribus & propinquis in foveam, aqua desti- Jer. xxxix,
tutam, conjectos, & deinceps liberatos, perspicuum 6. Thre. III,
jam est, cum antitypus id monstret. 53. 54. 55. 56.
Gen. xxxvii

Nunc intelligitur *Ezechielis* vaticinium de arbore 24. Zach. 9,
alta dejicienda, dejectaque exaltanda, & de arbore vi- II. Ez. xvii,
renti exsiccanda, siccaque facienda, ut floreat, quippe 24. Matth.
qui *tener Dei furculus* erat. Ve- XXI, 19. 20.
Num. xvii.

- Ez. xvii, 22. Verus *Daniel* vir Deo carus, jam ex fovea obfig-
 Esa. lxxx, 2. nata liberatus est, & leonis, nempe mortis os occlu-
 Dan. vi, 22. sum, ut lædere ipsum non potuerit.
23. Ecquid sibi voluit, quod *Hoseas* exclamavit: Vitæ
 Hof. vi, 2. restituet nos post biduum; *die tertio* excitabit nos, &
 vivemus coram ipso?
- Joel. ii, 28. *Dies Joelis* absunt propius. nam in monte Sionis &
 sq. it. 32. Hierosolymæ erit liberatio, quemadmod. dixit Jehova.
- Am. ix, 11. *Tugurium Davidis*, quod concidit, rursus erigitur, e-
 Act. xv, 16. jusq; rupturæ sepiuntur, ac demolitiones restituuntur
 & reædificatur illud, sicut olim.
- Obad. v. 7. Hinc in monte Sionis erit, qui evadet, eritque san-
 ctus: & possidebit domus Jacob hæreditarias posses-
 siones suas.
- Jona. *Signum Jona*, quod est mysterium crucis, jam plene
 Matth. xii, in ipso capite apparuit.
40. Promissus *Effractor* perrupit sepulchri portam &
 Luc. xi, 29. figillum, fidelibus suis universis præit, ac in principiis
 Mich. ii, 13. eorum antecedit, vitæ Princeps. Is jam adest, & *pascit*
 Mich. v, 4. in robore Jehovæ & excellentia, nomine Jehovæ Dei
 sui, & incipit magnus fieri usque ad fines terræ.
- Nah. i, 15. Proinde in montibus jam veniunt *pedes evangeli-*
zantis, promulgantis pacem.
- Habac. ii, 4. Et *justitia fidei* confirmatur per Christi resurre-
 Rom. i, 17. ctionem ex mortuis.
- IV, 24. 25. Nunc igitur Sioni dicitur: Ne remittuntor ma-
 Zeph. iii, nus tuæ, Sion, nam *Jehova Deus tuus* in medio tui *potens*
 16. 17. *servaturus* est, gavisurus de te lætitia, conquieturus in
 amore suo, exultaturus de te cantu.
- Efra & Ne- Capti enim Sionis sunt redempti, typusq; *ædificati-*
 hemia. *onis secundi templi*, & *Hierosolymæ* urbis, sub *Efra & Nebe-*
 Hagg. ii, 10 *mia*, nunc reperit antitypum suum; quandoquidem
 Zach. vi, vaticinia *Haggæi*, *Zachariæ*, *Malachiæ*, de *gloria posterioris*
 12. 13. *domus*
- Malac. iii, 3

domus, de viro, qui vocatur *zemab*, sub quo germinabit, & qui in folio residens dominabitur, ac de sacrificiis Deo in iustitia offerendis, omnia jam fiunt, & fundamenta jacta sunt veri liliorum regni, quod, secundum profundam veterum interpretationem vocis Susan, cui cabbalisticam observationem nominis Estheræ adjunxerunt, historia libro Esther descripta mystice denotavit.

*Sic ergo pati Christum necesse fuit, & die tertia ex mortuis resurgere: sic omnia in Mosis lege, in Prophetis, & in Psal-
mis de ipso scripta, perfici oportuit.* Luc. xxiv, 46. 47.

Huic sermoni propositum est nihil aliud, quam ut ad celebrationem dierum Paschaliū, qui Dei gratia in hoc novo etiam seculo nobis illuxerunt, talem excitemur, qua Rex regum & Dominus dominorum, qui sedet ad dexteram majestatis in excelsis vere glorificetur. In eum enim finem ob oculos hic est positum, uti ab initio Deus per os sanctorum Prophetarum veræ justitiæ restitutionem ex resurrectione Filii sui promiserit & testatus fuerit. Quomodo vero unigenitus Patris Filius ipse in diebus exinanitionis suæ eam prædixerit, & quomodo itidem Apostoli de eadem re magna virtute testimonia exhibuerint, large his diebus nobis explicabitur. Certum enim est, postquam, comprobatis vaticiniis, Deus ipse *per Filium suum* Ebr. I, i. c. ad nos locutus est, & hic verbum suum *per eos, qui ipsi* II, 4. *audiverunt illud*, proponi nobis curavit, Deus etiam con-
cionem de resurrectione Christi multis signis, miraculis
& prodigiis, variis viribus, ipsaque Spiritus S. distributione,
prout ipsi complacuit, confirmavit, longe gravius judicium
nos manere, si his fidem dignam non adhibeamus,
quam eos, qui tantam cognitionis ubertatem non sunt
nacti. Quantæ stultitiæ ac socordiae nos arguemur, cum

B

man-

mansuetissimus & humanissimus Salvator noster in i-
 Luc. XXIV, 25. pñs discipulis suis hoc vitium animadverterit, quibus
 tamen excusatio aliqua ignorantiae & incredulitatis
 Marc. XVI, 14. non defuisse videtur. Forſitan vero non pauci puta-
 bunt, inter nos nullos ſtultos, & corde tardos ad cre-
 dendum inveniri: præſertim cum nuda ſcientia locum
 jam obtineat vivæ cognitionis, & fides hiſtorica tan-
 quam in divina virtute conſiſtens ſoleat venditari.
 Hinc enim, quando dicitur: *Quis credit ſermoni noſtro?*
 Eſa. LIII, 1. nemo non reſpondet: *Ego credo.* Obſervetur igitur,
 quid ulterius Propheta addat: *Bracchium Iehovæ cui re-*
velatum eſt? Sed fortasſe etiam tantæ ſumus audaciæ,
 ut hoc æque nobis revelatum eſſe arbitremur, quan-
 do aſſenſu ſaltem comprobamus, Chriſtum bracchio
 Iehovæ ſuſcitatum eſſe. Ecquis autem curatius ani-
 mo ponderat, nos æque eſſe mortuos, & quidem in
 delictis ac peccatis, quamdiu excellens divinæ poten-
 tiæ magnitudo in nobis ſe non exerit: noſtramque fi-
 dem non niſi vanam deceptionem, phantasma & ſpe-
 ctum eſſe Satanæ, niſi *bracchio Iehovæ*, ſeu eadem ex-
 cellentis potentiæ divinæ virtute, quam operatus eſt
 in Chriſto Jeſu, eum ex mortuis ſuſcitando, in nobis
 illa efficiatur: eandem etiam roboris virtutem in con-
 verſione hominis eſſe impendendam, quam Deus in
 reſuſcitando Chriſto impendit; eamque converſionem
 nil niſi falſam perſaſionem eſſe, quæ non re ipſa ſit
 reſurrectio ex morte ſpirituali: id quod Apoſtolus gra-
 vi oratione firmiſſime aſſeverat? Et certe plus, quam
 Eph. I, 19. ſq. II, 1. ſqq. opinio, humanaque perſaſio requiritur, ſi quis vere
 adaptare ſibi hæc verba cupit: *Cum eſſemus mortui in pec-*
catis, vivificavit nos Deus una cum Chriſto, ſimulque reſuſci-
tavit, & in Chriſto Jeſu in cœleſtibus collocavit. Bene ergo
 I. Cor. V, 8. in nos ipſos attendamus, ne feſtum agamus in fermento
 vetere

vetere improbitatis ac malitia, sed sinceritatis, veritatisque pa-
nibus infermentatis, uti graviter Paulus monet. Imo evi-
gilet, qui dormit, & surgat a mortuis, tunc Christus eum illu-
minabit. Si quis vero in sepulchris mundanarum car- Eph. V, 14.
 naliūque voluptatum vult permanere, & ulterius e-
 xequi voluntatem carnis & rationis, ille ne se jactet
 contra verum & mentiatur. Qui crucem Christi in spi-
 ritu non degustavit, is nec in Spiritu degustabit resur-
 rectionem. Non est Christi, qui carnem non crucifi- Gal. V, 24.
 xit cum passionibus & concupiscentiis. Vivens cum Luc. xxiv, 5
 mortuis quærendus non est. Otio certè, comeffationi-
 bus & potationibus, nugis & confabulationibus otiosis,
 vano luxu, aliisque gaudiis mundanis non potest ce-
 lebrari Pascha. Nec sufficit audire conciones, & can-
 tare hymnos de resurrectione Christi, si id fiat animo
 cum Christo nondum crucifixo & mortuo, nec adsit
 verum desiderium conjunctionis cum Christo. *Regnum*
enim divinum non situm est in cibo & potu, nec in verbis, sed Rom. XIV,
in justitia, pace, letitia in Spiritu S. & in virtute. Vera enim 17.
 Paschatis celebratio est ea, quam Paulus describit, di- 1. Cor. IV,
 cens: *Si igitur cum Christo surrexistis, quæ sursum sunt, quæ-* 20.
rite, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens. Quæ sursum Col. III. 1. 2.
sunt, sapite, non quæ super terra. Aliis vero bonum exem-
 plum præbeamus, & ambulemus, velut ii, qui compo-
 tes sunt facti vitæ, quæ ex Deo est, ne cui scandalum
 præbeamus, ejusque peccati participes reddamur. P.
 P. in Academia Fridericiana. An. DOM. MDCCI.
 Fer. Paschal.

TYPIS ZEITLERIANIS.

W 18

